

ANNOTATA ANTI-GROTIANA

Dei ac sacramentorum sunt, oportet eosdem non tantum rem terrenam,
sed & sacramenta integra dispensare.

v. 2. Ὁ λοιπόν.

- " Idem valet, quod frequentius dicitur λοιπὸν supra I. 16. Act. XXVII.
" 20. 2. Cor. XIII. 11. II. Tim. IV. 8. aut τὸ λοιπὸν, ut Matt. XXVI. 45.
" Marci. XIV. 41. Eph. VI. 10. Phil. III. 1. 1. Thess. IV. 8. V. 1. 2. Thess.
" III. 1. Ebr. X. 13. Usurpatur & de rebus & de temporibus restantibus.
" Sed saepe, ut hic, orationem connectit & vim habet eam, quam Latinum
" vox ceterum.

Ζητεῖται ἐν τοῖς ἑκονόμοις.

- " Ζητεῖται ad Latinismum accedit: Requiritur. Vocis συνθέμα
" translationem perseqvitur.

Ἴα πιστός τις Λέγεθη.

- " Plurali subjecit singulare, quia ista in distributivis promiscue usur-
" pantur. Fidelem esse præcipua laus in dispensatore Matth. XIV. Itaq;
" tribuitur Moysi Hebr. III. 5. Samueli 1. Sam. III. 20. Ministris Evange-
" lii Joh. VI. 21. Col. I. 7. L. IV, 7. Tales autem certe non erant illi
" sectarum duces Corinthi.

Quatuor in fidelibus œconomis his, præcunte Aristotele l. V. Po-
lit. cap. 12. requirit Aretius (1.) ἐμπειρίας peritiam rerum (2) σύΦυιας bo-
num indolem (3) Φιλοποίιας laboris assiduitatem (4) δικαιοσύνην justitiam.
Hæc œconomis Christi imprimis quadrant. Oportet enim peritos esse
scripturæ, ex cujus penu proferant cibaria. Oportet etiam bonâ indo-
le esse præditos, hoc est, non esse malitiosos & hypocritas, ut candidè
& seriò agant, quod agunt. Φιλοποίia etiam illis est necessaria, quia
semper docendum est, semper legendum est, semper versandum in li-
teris, diurna nocturnaque manu versanda scriptura. Deniq; justitia per-
necessaria est, ut vitâ & moribus exprimat, id quod docet, ne una ma-
nu destruat. quod altera ædificat. Ex hoc loco notari possunt in œcono-
mia tria (1) diligentia s. fidelitas. conf. 1. Cor. IV. 17. 2. Tim. III. 2. in cibi
œlestis dispensatione Job. XII. 42. & animarum lucratione Matth. XXV.
14. (2) Tolerantia, seu æquanimitas v. 3. conf. 2. Cor. VI. 8. 9. C. X. 2.
(3) Bona conscientia s. vera pietas Vid. 2. Cor. I. 12. Act. XXIII. 1. cap.
XXXIV, 16.

V. 3.